

lemniores Festivitates, in quibus memoria recolitur Nativitatis, Manifestationis, Passionis, Mortis et Resurrectionis D. N. J. C. Quae vero sequuntur Dominicae post Epiphaniam et Pentecosten, nihil habent, quod non omnibus et singulis aequè conveniat; neque ulla est, quae aliqua distinguatur praerogativa. Ad harum classem referenda certe est prima post Pentecosten; ideoque, si privilegio gaudet quodlibet excludendi Officium cuiuscumque ritus, eo gaudet non ratione Dominicae sed ob adnexam Festivitatem SSmae Trinitatis, quae licet sit 2. class. numquam omittitur, etiamsi occurrat Festum primae classis, quod Rubrica transferendum jubet. Uniuntur quidem Festum Trinitatis et Dominica prima post Pentecosten, sed non confunduntur: unicuique tribuendum est, quod illi convenit: Festum Trinitatis privilegio donatur eliminandi quocumque duplex; Dominica vero ut Dominica, cum sit ritus semidup., id dumtaxat habet, quod exigit qualitas ritus.

Quod si aliquis velit hanc Dominicam ratione sui et separatim ab adnexo Festo SSmae Trinitatis illis revera anumerandam, quae numquam omittuntur, onus in se suscipit aliquam promendi ex iis rationibus, quae ab intrinseco dicuntur. Equidem ego diu cogitationes intendi, ut hanc adinvicem, irrito tamen conatu. Si quae excogitari possunt, extraneae sunt et ad id conficiendum, quod probandum est, nullatenus prosunt. Nemo est, qui neget hanc dominicam legi in Tabella illarum, quae nunquam omittantur. Quid tamen inde? Non ut Dominica illis adnumeratur, verum notatur ratione adnexae Festivitatis, quae licet sit secundae classis nihilominus primae qualitatem habet, idcirco non dicitur *Dominica prima post Pentecosten vel Dominica in Octava Pen-*

costen, ut dicitur *prima Adventus prima Quadragesimae*, verum enunciat *Dominica Trinitatis*. Dominicis, quae numquam omittuntur, adnumerantur *Pascha et Pentecosten*; at nemo est, qui sibi fingat Dominicam, ut Dominica eo privilegio gaudere, quod adnexum est solemnioribus illis Festivitatibus ex Ecclesiae instituto in Dominica perpetuo celebrandis. Ita etiam festiva solemnitas SSmae Trinitatis Dominicae perpetua affixa notatur in Tabella duplicium secundae classis, sed iterum notanda erat inter Dominicas, quae numquam omittuntur ratione privilegii exclusivi. Secus dicendum esset in eo stare privilegium SS. Trinitatis, quod ei cedit Dominica, quae nunquam omittitur. Id autem utpote contradictionem involvens absurdum est. Patet igitur privilegio decorari Festum, non Dominicam, eodem ferme modo, quo solemnitates Paschae et Pentecosten alia omnia respuunt Festa ratione sui, non relate ad Dominicas, in quibus perpetuo hujusmodi solemnitates sunt affixae.

Forte non deerit, qui existimet Dominicam primam post Pentecosten eodem frui privilegio, quo gaudet Dominica in Albis, quae est rit. dup. maj., et nihilominus Festo altioris ritus locum non cedit. Ast vehementer errat, qui in hac opinione versatur. Magnum quippe unam inter et alteram discrimen est. *Dominica in Albis*, quamquam de rigore non sit Octavae Paschae, quae desinit ad novam Sabbathi praecedentis, habet nihilominus qualitatem Octavae singulari privilegio ditatae, quo ab aliis omnibus distinguitur, ideo in Rubrica legitur: *Dominica in Albis in Octava Paschae*; Breviarum Mozarabum et Orationale Gothicum habet: *Dominica in octava Paschae*; ita etiam in Sacramentario Gelasiano apud B. Thomasium, et Gregoriano apud Menar-

dum. Non quaeram modo, cur nam in *Albis* dicatur: num, quia nuper baptizati albas deposuerant in praecedenti Sabbatho, unde in Missali Ambrosiano appellabatur *in albis depositis*, et in antiquo Ordine Romano: *Dominica post albas*, an potius quia, *depositis vestibus albis susceptis in Baptismo alias vestes similiter albas recipiebant in Confirmatione in hac Dominica, in qua hoc alterum sacramentum* (scilicet Confirmationis) *ipsis ab Episcopo conferebatur*, prout latius videri potest apud Tetamum *Diar. ecclesiastic. et civil. part. 3. lib. 5. cap. 1 art. 1. sect. 2.* Attendenda potius est qualitas Missae ejusdem diei propriae: Deo in hac reddimus gratiarum actiones tum pro noviter sacro lavacro regeneratis tum pro paschalibus festis peractis. *Introitus* quippe et *Epistola* ad collatum Neophitis Baptismum relationem habent, *reliqua* ad Resurrectionem. Hisce de causis haec Dominica semper in Ecclesia solemnissima fuit, utpote quae sublimia includit Mystera. Hinc etiam apud Graecos *Dominica nova seu novella* fuit appellata, quia, ut vult Raynaldus *tom. 10. tract. de Agno cereo cap. 7. num. 6.*, erat addicta recolendae novae generationi, et novitati vitae per *Baptismum receptae*. Praetereo alia multa, ne nimius videar diuque immorer in re satis omnibus clara.

Enimvero Dominica prima post Pentecosten nihil prorsus habet, unde aequari possit Dominicae in Albis; imo si adnexam non haberet Festum Trinitatis et de ea fieri deberet, nullatenus differret a Dominicis, quae sequuntur. Nam, ut legitur in Ordine Romano XIII. sive Caeremoniale edito jussu Gregorii X. num. 27. apud Maillon. *Mus. Italic. tom. 2. pag. 241: In Dominica prima post Festum Pentecosten, quae caret Octava, die Sabbatho in Vigilia ipsius Dominicae us-*

que ad Dominicam primam de Adventu Domini fit Officium de die et nocte, ut continetur in Ordinario, et utitur Ecclesia colore viridi. Et quamquam assentiri nolim Grancolasio de Breviario Romano *lib. 2. cap. 81.* et Cavalerio *tom. 2. cap. 17. num. 6.*, qui volunt ideo hanc Dominicam assignatam fuisse festo Sanctissimae Trinitatis, quia, absoluta jam in Sabbatho Octava Pentecosten, non habebat Officium proprium, et vacantibus adnumerabatur; quippe vacans non est, si dat initium Dominicis post Pentecosten, et quae proxime succedit, in ordine secunda est. Certum tamen est, quod in Cappella pontificia Missa Trinitatis unicam Orationem habebat, quae de Dominica fieret Commemoratio. Ita in Caeremoniali S. R. C. *lib. 2. tom. 2. cap. 13: In vigilia SSmae Trinitatis sunt Vesperae etc.; dicitur tantum una Oratio: ad quem Caeremonialis locum notat Catalanus: Hic est ritus, cujus passim meminit Burchardus in suo MS. Diario, ubi etiam refert, quod, cum finita Missa, Cardinalis S. Marci ei dixisset, quod de Dominica debuit fieri commemoratio in Vesperis et in Missa, se eidem respondisse: illam de expresse mandato D. N. Papae (nempe Innocentii VIII.) fuisse omisam.* Id ipsum confirmatur ex Rubrica 27. *Codicis Vaticani 4737.*, quae jubet: *Item in Festo Trinitatis, quae est in Octavis Pentecosten, utitur paramentis albis . . . nec in Missa dicti Festi fit commemoratio de Dominica, quamvis in Matutinis et Vesperis de ipsa Dominica fit commemoratio, apud Gallicum acta selecta caeremonialia tom. 1. pag. 45. column. 2.*

Verumtamen, etsi alia deessent argumenta, illud unum sufficeret ad finem quaestioni imponendum, quod haec Dominica nec decoratur Statione,

qua gaudent omnes aliae Dominicae, quae, ob privilegium exclusivum, etsi ritu gaudeant semiduplici, Festa tamen occurrentia ritus primae vel secundae classis non admittunt; quod expresse notatum video a Panvino *de Basilic. Lateranen. lic. 2. cap. 8 ex MS. asservato in Archivio ejusdem Basilicae: ast stationes S. Gregorius PP. limitavit . . . statuens, videlicet quatuor Dominicis Adventus etc., a vigilia Pentecostes usque ad Dominicam SSmae Trinitatis EXCLUSIVE.* Ex his jure concludam: si revera Dominica prima post Pentecosten Dominicis adnumeranda esset, quae privilegio exclusive gaudent, nec color viridis adhibendus foret (quatenus de ea fieri deberet Officium), sed potius rubens, ut albus adhibetur in Dominica in Albis; neque omittenda ejusdem commemoratio in solemnibus Missa de Trinitate, quae cantatur in Sacello pontificio; neque careret Statione, qua nulla ex Dominicis privilegiatis fraudatur. Haec tene et dic modo, Dominicam hanc, ratione Dominicae et non adnexae festivitatis, illis adnumerandam, quae nunquam omittuntur.

Quae cum ita sint, plane consequitur nihil fieri debere et omnino corruere, quae in contrarium afferri, imo potius obrudi et fingi possent argumenta? Et revera omni prorsus fundamento caret opinio seu simplex suppositio, quod haec Dominica qualitate primae classis gauderet, priusquam Joannes XXII. in eadem assignaret Festum SS. Trinitatis. Fallax esse hujusmodi argumentum plane evincit ritus Missae (quae adhuc in Missarum Codice habetur, ne ejusdem oblitteretur memoria). Cum enim praeter Orationem propriam habeat secundam a Cunctis, tertiam ad libitum, ritus semidup. fuisse et esse certo consequitur. Quod si in eadem ra-

tionem habita fuisset ac illa est, quam in *albis* dicimus, eundem obtinisset ritum *dup. maj.* cum privilegio exclusivo. Contra vero jam demonstravimus aevo *Beati Gregorii X.*, qui per dimidium fere saeculum praecessit Joannem XXII., a quo Festum Trinitatis additum fuit, eandem Dominicam nulla speciali praerogativa fuisse decoratam, et ab Ecclesia adhibitum colorem viridem, qui proprie convenit Dominicis semiduplicibus post Epiphaniam et Pentecosten. Jure igitur postulo, ut qui privilegiatam volunt Dominicam primam post Pentecosten, ita ut frui commemoratione debeat in secundis Vesperis concurrentibus cum Festo *dup. 2. class.*, proferant unam ex Dominicis, in quibus color viridis adhibetur, quae ritus *semidupl.* non sit et aliqua praerogativa fruatur.

Neque alterum juvat, quod petitur ex pervetusta consuetudine Basilicae Lateranensis adnotandi in Directorio Officii: *Dominica prima post Pentecosten dupl. 1. class.: Festum SSmae Trinitatis dup. 2. class.* Errorem, in quo primus Directorii extensor inconsiderate lapsus est, oscitanter nimis sequuti sunt caeteri, qui ei in munere successerunt. Arbitraria enim est inversio Rubricae. Nam notanda erat non: *Dominica prima post Pentecosten*, verum: *Dominica Trinitatis*, ut in tabella legitur, quae licet ratione Festi sit secundae classis, induit tamen qualitatem primae: et quoniam Dominicae affixa est, bene stat, quod Dominicis adnumeretur, quae nunquam omittuntur. Nam si primae classis esset quoad privilegium exclusivum Dominica, in ratione Dominicae duo sequerentur absurda, videlicet, vel quod Dominica, quae nunquam omittitur, omittenda esset, vel quod privilegio exclusivo potiretur Dominica, et Festum Trinitatis eo gauderet non ratione Festi, sed ratione Domi-

nicae: quae certe contradictionem involvunt nulloque pacto componi queunt. Omnia conciliantur, si ad Festum Trinitatis referatur illud: *Dominica Trinitatis*, itaut sensus sit: *Festum Trinitatis, quod adnexum est Dominicae primae post Pentecosten, licet sit rit. 2. class. ad instar Dominicarum, quae nunquam omittuntur.*

Quae autem hucusque dicta sunt plane evincunt praefatam Dominicam ratione sui privilegiatis non adnumerari omnique fundamento destitui, quae in contrarium afferri aut fingi possent: nam revera haec Dominica gaudet ritu dumtaxat semiduplici minimeque differt ab aliis, quae sequuntur; et privilegio exclusive Officii cujuscumque ritus decoratur Festum SSmae Trinitatis, non Dominica: quam ob rem recta descendit responsio ad propositum dubium: *Negative, et Commemorationem Dominicae esse omittendam*, veluti Sac. Congregatio sua auctoritate definit, ut Calendaristae in simili concursu sciant, quid in Directorio Officii notare debeant.

TRIREGNUM.

Vd.: *Tumulus.* (Quid etc.)

TRISAGIUM.

Vd.: *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV. §. 27. 28. etc. t. III. part. I. p. 229).

Trisagium, quo tres personae divinae laudantur his verbis „*Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus et Immortalis, miserere nostri*“ e coelo adductum est, cum puer e terra elevatus Constantinopoli, et in coelum raptus per unam horam descendit postea illud recitans.

Cum enim Orbis pene universus ita horribili et longo terraemotu quateretur, ut anno 446. in sola Constantinopolitana Urbe subversa fuerint

omniamagnificentiora aedificia, et quingentae septem turres, ut ex Marcellino refert *Berninus* tom. 1. *Histor. omnium Haeresum* cap. 6. de gestis tempore Felicis III. quae scribit *Nicephorus* lib. 14. cap. 46. nempe: „*Theodosius imperabat; et Terraemotus magnus et admirandus extitit, qui priores magnitudine, celeritate et temporis duratione facile superavit et non ex intervallo sed motu continuo omnia concussit, idque per Orbem fere universum.*“ Hac de causa, ne vivi sepellirentur, antequam interirent, Imperator Theodosius cum suis Magnatibus, Proclus Episcopus cum suo Clero civesque omnes extra Urbem se receperunt et brachiis extensis ad Coelum versus, ut scribit *Nicephorus*, loco cit. „*obtestabantur Deum, ut propitius eis esset, et ab imminente calamitate Orbem liberaret?* Tuncque Infantulus, toto populo spectante, in Coelum per unam horam raptus est indeque reversus nuntiavit Episcopo ac Imperatori aliisque inibi existentibus, audisse Angelos ante Thronum Dei hoc divinum canentes Trisagium: „*Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus et Immortalis miserere nostri*“, sibi bique mandatam fuisse, ut eam laudationem populo indicaret. Quae ubi Proclus intellexit, subjungit *Nicephorus* loc. cit. „*statim ad eum modum psallere jussit et terraemotus statim etiam constitit omninoque quievit;*“ et ut scribit *Felix III.* Summus Pontifex Epist. 3. Quam laudationem ubi populi incoeperant, civitatem receperunt Deoque per hujusmodi propitio facto et ab imminente ira sunt liberati, et exinde, ut prosequitur loc. cit. *Nicephorus*, „*Imperator Theodosius et Pulcheria tanto miraculo percusi Constitutione imperiali confestim, ut per Orbem omnem Hymnus divinus iste concineretur, decreverunt; et eo tempore Ecclesia Christi eum accep-*

tum non quolibet tantum die usurpat, sed etiam cujuslibet carminis et laudis Dei initio ante omnia pleno ore praetermittit.

S. TROFIMENA.

Minorien.

Cum ad praesens multa sint aequivoca super denominatione s. Trofimenae, cujus festum cadit die 5. Julii, ex eo quia aliquando reperitur vocata Trifina, Trifomena et Trofomena, ideo Episcopus et populus civitatis Minorienensis S. Rituum Congreg. supplicaverunt, ut in posterum eadem Sancta, quae est protectrix et titularis Ecclesiae cathedralis dictae civitatis, cujus corpus asservatur in dicta Ecclesia, ad tollenda praedicta aequivoca, apponatur in martyrologio romano ac in eorum calendario sub nomine s. Trofimenae. Et eadem S. Congregatio ad petita benigne annuit atque concessit. Die 21. Januarii 1673.

Anal. J. P. 1865 p. 1179 n. 1964.

TU AUTEM DOMINE, MISERERE etc.

Finita lectione Canonicus inclinans se profunde versus altare dicit: *Tu autem Domine etc.*, et facta reverentia Episcopo revertitur ad locum suum absque osculo manus Episcopi *Caer. Ep. I. II. c. 5. n. 6.*

Lector cum dicit: *Tu autem etc.* in fine lectionis genuflectit, *si non est Canonicus.* *Caer. Ep. I. II. cap. VI. num. 14.*

TUMULUS.

1) Pannum nigrum.

Feretrum, quum in eo corpus includitur, et castrum doloris, absente corpore, panno nigro cooperiri debent: quaeritur: utrum feretrum, si in eo

reconditur corpus puellae innuptae panno ex lana alba contexto cooperire liceat in signum virginitatis et etiam pro castro doloris in die III., VII., XXX. et anniversaria ipsius puellae innuptae?

S. eadem C. respondendum censuit:

„Negative in utroque casu.“

Atque ita rescripsit. N. 5221 ad 13. Die 21. Julii 1855.

Vd.: *Sepultura* (SS. Papae; Cardinal.)

2) Remotio.

In quibusdam anniversariis, die ex gr. 4. Novembris et quum non sunt anniversaria nec celebrari potest missa de requiem (eo quod non adsit obligatio applicandi missam conventualem in diebus ferialibus) canunt nocturnum, deinde absolutio circa tumulum peragitur; et postea missam conventualem canunt de festo, quod occurrit, applicando illam pro defunctis, cum tumulo ante aram et cereis accensis.

S. C. resp.: Posse, dummodo removeatur tumulus tempore missae ac finita circa illum absolute.

(Anal. J. P. 1855 p. 733 I.)

Vd.: *Absolut. mortuor.* (non licita decr. num. 5166.)

3) Quid in eo supponatur?

In quadam Cathedrali singulis annis celebratur anniversarium pro anima... ss. Pontificis, in quo ad tumulum exponuntur insignia rubri coloris auro in-texta, sicut triregnum, casula, stola etc.; utrum haec insignia rubri coloris apponi possint?

S. C. resp.: Quoad insignia coloris rubri negative et in casu super tumulum apponi posse triregnum simplex. n. 4536 ad 13 die 4. Junii 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRET.

Novum illud est, quod quaeritur: quis enim est, qui nesciat communem esse Ecclesiarum morem supra castrum doloris in anniversariis vel nullo signum apponere vel illud dumtaxat, quod designet qualitatem personae, cujus funebri memoria fit? Ideo, etiamsi anniversaria celebrentur pro animabus Summorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Sacerdotum, satis est Triregnum, Mitram, Biretum rubrum aut nigrum, nigri aut violacei coloris stolam imponere ad distinguendum personae diversam dignitatem et characterem. Dum igitur anniversaria dies agitur alterius ex Summis Pontificibus, a more recedendum non est, neque apponendam casulam cum stola, quippe Triregnum satis superque est ad significandam supremam personae, pro cujus anima funebre officium peragitur, dignitatem. Quod si nec casula nec stola tumulo apponenda sit, frustra de colore disquirerem. Insignia hujusmodi rubri coloris ea in Cathedrali adhiberi solent, forte quia Pontifex, dum exequiis interest, rubro utitur Pluviali ejusdemque coloris casula defuncti cadaver induitur: sed haec consuetudo Pontificiae Capellae singularis et peculiaris est in aliquibus dumtaxat functionibus, quae tamen antiquis ritibus nequit adnumerari, sed postremis saeculis inducta est, veluti demonstrat Dominicus Giorgi in erudito opusculo: degli abiti sacri de Pontifice paonazzi, e negri: Num quid autem quod proprium et peculiare est Pontificiae Capellae, extendere licet ad Insignia castro doloris imponenda, dum alicujus Summi Pontificis anniversaria dies funebri pompa recolitur?

4) Coram exp. SSmo.

In Ecclesia Collegiata Augriae Dioecesis Nuceriae Paganorum celebratur funerale, cui additur expositio SSmi, coram quo ante suppedaneum altaris erigitur tumulus mortuorum accensis luminibus circumdatus. Durante interim expositione SSmi a Canonicis officium def. cantatur, pulsantur campanae ad moestitiam excitandam; absolutis laudibus, exposito pariter SSmo, canitur missa propria diei currentis in paramentis albis eaque absoluta Celebrans dat benedictionem cum SSmo.

S. C. resp.: Assertam consuetudinem tamquam rubricis et ritibus Ecclesiae contrariam suslineri non debere et Episcopus eandem omnino aboleri curet. Num. 4292 die 27. Mart. 1779.

TUNICELLA.

Vd.: *Dalmatica. De tunicella Subdiaconi ad „Exultet“* vd.: *Missale* (Correctio II. A. num. 3.)

TURNUS.

(Inter Canonicos et Dignitates.)

Vd.: *Canonici Cath.* (praeced.); *Canonici* (celebrantes); *Tabella.*

Recedendum a decisis sub die 20. Nov. 1677, ita ut turnus incipere debeat a Dignitatibus. N. 3856 ad 2 die 26. Aug. 1713.

Dignitates tenentur adimplere munus Turnarii occasione funerum. N. 4030 ad 5 die 12. Martii 1735.

Praepositus (Cathedr. Anagninae) tenetur per seipsum, quando non est legitime impeditus, servare hebdomadam in choro et canere missas per turnum cum caeteris Canonicis. Num. 4040 ad 10 die 21. Apr. 1736.